

*mum valent.* Si qui hac arte ad errores palliandos & altercationes excitandas abutantur, hujusmodi turbulentorum hominum malitia non magis potest arti imputari, quam Scripturæ S. quando ea omnium temporum hæretici ad stabiliendas hæreses abusi fuerunt.

§. XIX. Ad præcipuas progredior *muneris ecclesiastici partes*, ea consideraturus, circa quæ potissimum occupatur ministrorum evangelicorum cura. Sunt ea præcipue tria. Primum est pura *verbi divini prædicatio*, alterum, rite & secundum institutionem Christi peragenda *sacramentorum administratio*, tertium, *potestas clavium*. Ad verbi prædicationem pertinent sequentia: Docere verbum legis & evangelii, impœnitentibus iræ divinæ gravitatem proponere, errantes oviculas in viam reducere, contumaces per certos admonitionum gradus increpare, pavidas mentes consolari & corde contritas erigere. Agit de his apostolus 2. Tim. IV, 2. *prædica sermonem, inquit, instans, tempestive, intempestive, arguens, increpans, exhortans, cum omni veritate & doctrina*. Dedit hanc potestatem apostolis suis ipse Servator Matth. XXVIII, 19. eosdem hunc in modum allocutus: *euntes μαθητεύσατε omnes gentes.* *μαθητεύσατε* proprie significat: *facite discipulos*. Quia autem præcipue istud fit docendo, hinc interpretes latini vocem græcam reddiderunt per *docete*, quos secutus B. Lutherus, quando ita transfert: *und lehret alle Heyden*. Quod autem ejusmodi sit verborum istorum sensus, ipse Servator, verborum suorum optimus interpres, ostendit, quando subjungit v. 20. *διδασκοντες, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*. Pari ratione Marc. ult. v. 15. 16.